

Universitätsbibliothek Paderborn

Cursus Theologico-Moralis

Ad usum Tyronum elucubratus, Et in Quotidianis Prælectionibus
Quoad ea, quæ Moralis Theologia disputat De Sacramentis, & Censuris

Viva, Domenico

Patavii, 1723

Art. I. Qua ratione actus conjugalis sit licitus?

urn:nbn:de:hbz:466:1-40650

licentia audiendi confessiones ad beneplacitum concedentis, vel quamdiu ei placuerit, talis licentia expirat, sive concedens moriatur, sive ab officio amoveatur: Verum si omnibus indiscriminatim Regularibus ea licentia detur sub tali conditione, tunc ne appareat irrationalis, & injusta, non est ita interpretanda, ut significet, dari licentiam, quoque ab ipso concedente revocetur; sed dari

licentiam quoque simpliciter a quolibet habente potestatem revocetur; atque adeo morte concedentis non expirat. Nec expirat, si detur licentia sub his terminis: Donec revocetur. Immo nec si dicat concedens: Do licentiam audiendi confessiones, donec illam revocavero; quia, ut expiret, requirit revocationem; atque adeo non satis est mors concedentis.

Q U A E S T I O VII.

De Usu, ac Debito conjugali.

Abstinendum esset ab hac questione, quae plurima fert, a quibus aures pudicæ abhorrent. Verum quia *Omnia Munda Mundis*, ut loquitur Apostolus ad Titum cap. 1.; & quia Confessarii hac in re nosse debent, quæ licita sunt, & discernere inter lepram, & lepram, hoc est inter mortale, & veniale, ut plurima peccata devitent; ideo examinandum Primo, Qua ratione actus matrimonii sit licitus? Secundo, Quando sit debitus? Tertio, agemus de iis, quæ usum matrimonii impediunt. Quarto, de peccatis luxuriæ, quæ inter conjuges committi possunt.

ARTICULUS I.

Qua ratione actus conjugalis sit licitus?

- I. Ob quem finem exerceri posse actus conjugalis?
 - II. Vacat veniali culpa, illum exercere ad vitandum periculum incontinenciae.
 - III. Consilium sanum est certis temporibus ab illo abstinere. Et regulariter est veniale post illum accedere ad Eucharistiam.
 - IV. Potest aliquando licitus esse in Ecclesia actus conjugalis; Et tunc Ecclesia non polluitur. At polluitur per effusionem seminis sacrilegam, qua non sit occulta, & fiat in ipso corpore Ecclesie.
- Pars VII.

- V. Non tenetur conjux reddere debitum, quando alter est amens, aut ebrios.
- VI. Ne ad vitam quidem tuendam licitum est procurare seminis effusione; quamvis licet eam non impedire, dum in somnis capitur.
- VII. Motus sensualitatis secundo primi sunt venialia, si proveniant ex causa venialiter mala citra periculum consensus.
- VIII. Non resistere positive cogitationibus, & delectationibus impuris num sit mortale?
- IX. Qui sine justa causa exercet actiones notabiliter in pollutionem influentes peccat graviter; peccat vero leviter, si raro, & per accidens in illam instuant.
- X. Quacumque modicissima delectatio venerea deliberate quesita, & admissa

X missa

missa non vacat letali culpa.

*XI. In quo differat delectatio venerea
a sensitiva non venerea?*

*XII. In aliquo sensu admitti potest,
quod in re ex objecto venerea de-
tetur materia parvitas; non tamen
in delectatione venerea.*

I. Quæritur primo; Quo fine ex-
ercendus sit actus conjugalis,
ut licite fiat?

Respondeo, juxta ea, quæ diximus
quæst. 3. a. 2. licitum esse usum conju-
galem, non solum ob prolis genera-
tionem, & ad vitandam conjugis in-
continentiam, (quod est indubitatum)
sed etiam ad vitandam in se incon-
tinentiam; & ad sanitatem corpora-
lem aut recuperandam, aut conser-
vandam; & ad conservandum amo-
rem cum conjugi; & ob alium quem-
cumque finem extrinsecum honestum;
ut communius docent Doctores: Non
tamen ob solam delectationem inde
capiendam: quod certe culpa venia-
li non vacat, ut constat ex proposit.
9. ab Innoc. XI. damnata. Ratio do-
ctrinæ est, quia actus conjugalis de se
non est malus, ut est de fide; ergo
licitum est eo uti ob finem honestum,
sive ipsi intrinsecum, ad quem natu-
raliter est proportionatus; sive extrin-
secum: non tamen ob solam delecta-
tionem; tum quia finis operationis
humana non debet esse bonum de-
lectabile, sed bonum honestum; &
abusus rei est, querere actum propter
delectationem illi annexam; cum
delectatio sit propter actum, non e
converso actus propter delectationem;
tum etiam, quia delectatio annexa
operi conjugali mentem absorbet,
nec liberam illam relinquit, ut se ad
Deum convertat.

II. Ex hoc autem, quod actus con-
jugalis mentem absorbeat, ac veluti
inebriet, docuit Sanch. lib. 9. disp. 9.
non vacare culpa veniali illo uti ad

vitandam propriam incontinentiam,
quando aliis mediis possumus stimu-
los carnis sedare: Sed communice
rejicitur: Hinc enim sequeretur, quod
conjuges tenerentur sub veniali jejuni-
toro, quando non est spes genera-
tionis; cum enim tenerentur sub ve-
niali non petere debitum, idcirco et-
iam sub veniali tenerentur vitare pe-
riculum proximum petendi, quod cer-
te habetur in usu ejusdem tori. Et
ratio a priori est; quia nemo tenet
vitare peccatum per medium perfe-
ctius, quando potest illud vitare per
medium ex se licitum, & honestum;
cum non detur obligatio exequendi
semper, quod perfectius est; ergo
quamvis possit aliquis sedare stimulos
carnis orationibus, & jejunii, nisi
lominus ad id non tenetur, sed por-
est illos sedare usu conjugali, qui, ut
diximus, de se licitus, & honestus
est; atque adeo ob talem finem illo
uti nulla est inordinatio, & nulla cul-
pa. Hinc Apost. 1. ad Corinth. 7.,
cum suassisset conjugibus, ut aliquan-
do ab usu conjugali abstinerent ad va-
candum orationibus, subdit: Iterum
revertimini in idipsum, ne tenet vos
Satanas propter incontinentiam vestram,
hoc autem dico secundum indulgentiam,
non secundum imperium. Quod si cul-
pa esset venialis ad vitandam incon-
tinentiam uti tali medio, non posset
Apostolus indulgere, ut ad illud re-
vertantur Conjuges.

III. Quæritur secundo; Quo tem-
pore sit illicitus actus conjugalis?

Respondeo, non esse illicitum die-
bus festis, aut jejunii, nec die com-
munionis, nec quo tempore uxor est
gravida, aut prolem laetat, aut men-
struum patitur, nec ante benedicio-
nes nuptiales; quamvis consilium sit
iis temporibus abstinere: Immo si ex
nimia carnis concupiscentia debitum
conjugale exigatur, videtur, regulari-
ter loquendo, esse veniale ad Eucha-

ristiam deinde accedere, eo quod reddatur homo minus aptus ad dispositionem ex divino præcepto requiritam ad Eucharistiam ob illam mentis evagationem. Posset tamen sine culpa veniali communicare, si aut magna solemnitas, aut jubilæum, aut alia ratio exigat accessum ad Eucharistiam; aut si conjux non petuit, sed redidit debitum, vel si recte sine illo petierit causa prolis.

IV. Quæritur tertio; Quo loco actus conjugalis sit illicitus?

Respondeo, in loco publico, seu coram aliis actum conjugalem, & tacitus impudicos inter Conjuges esse mortaliter illicitos, adhuc secluso scandalo; cum graviter rationi, decen-
tia, & honestati humanae dissonet ea coram aliis exercere; eo quod de se graviter ad venerem excitent aspicien-
tes.

Dubium est; An in loco Sacro, vel benedicto actus conjugalis sit illicitus, & sacrilegus?

Affirmant Palud., & Tolet., eo quod per illum Ecclesia polluatur. Nam in cap. final., de *Consecratione Ecclesie* dicitur: *Si Ecclesia fuerit cuiuscumque semine, aut sanguinis effusione polluta.* Alii putant, tunc solum esse illicitum, quando sine necessitate exercetur; Videtur enim esse Ecclesie injuriosus: At si conjuges longo tempore maneat in Ecclesia conclusi, poscent ad vitandam incontinentiam actum conjugalem exercere; quia non videtur in tali casu prohibitus ab Ecclesia. Ita Sanch. disp. 25., Azor., Avil. de Censuris part. 5. dub. 1.

Verius existimo cum Pontio, & Perez disp. 49. sect. 5. neque esse mortale, si conjuges in Ecclesia copulentur sine necessitate; nec Ecclesiam violari, aut pollui per actum conjugalem. Ratio est, quia nusquam id ab Ecclesia prohibetur, & in cap. cit., ubi dicitur, Ecclesia pollui per semi-

nis effusionem, sensus est de effusione semenis illicita; actus autem conjugalis non est illicitus: Sicut enim sola effusio sanguinis illicita, & inusta polluit Ecclesiam, & est sacrilega, non vero effusio justa; ita sola effusio semenis illicita eandem polluit, & est sacrilega. Ratio a priori est, quia illi actus habent speciem sacrilegii, quibus ex constitutione Ecclesiastica statutum est Ecclesiam manere pollutam, & reconciliandam esse; atqui nullum jus Ecclesiasticum statuit, locum sacrum pollui per effusionem semenis maritalem, ut late ostendit Perez loc. cit. Solum enim polluitur Ecclesia per effusionem semenis ex se illicitam, quæ sit peccatum mortale, & quæ sit publica; idest quæ ipsa confessione Rei in Judicio, vel evidenter facti in multorum notitiam de-
venit; & est quasi diffamata Eccle-
sia, & denigrata ejus reverentia, ut communiter docent cum Vafq. i. se-
cunda disp. 98., Tolet., & aliis. Et
enim sicut ob occulta crima non potest injungi penitentia publica, ne delinquens injuriose diffameretur; ita nec Ecclesia potest pollui ob delictum quodvis occultum; quia eadem inconvenientia sequentur: Si ergo duo, vel tres, vel pauci homines fac-
tent pollutionem in loco Sacro admissam, non per hoc talis Ecclesia debe-
ret reconciliari, nec peccatum illud haberet rationem Sacrilegii.

Adde, pollui Ecclesiæ per talem actum publicum factum intra corpus Ecclesie, non vero in Sacristia, aut in Cellis, seu Tribunis, ex quibus Principes, qui domos habent Ecclesie conjunctas, audiunt Sacrum, ex Sanch. loc. citat.

V. Quæritur quarto; An actus con-
jugalis sit illicitus tempore amentiae?

Respondeo, quando ambo conjuges sunt amentes, separandi sunt, ne car-
naliter conjungantur; & peccat mor-

taliter, qui eos ad copulam incitaret. Ratio est, quia concurreret ad evidens periculum malæ educationis pro lis; siquidem ea careret parentibus, a quibus educari posset; Praterquam quod facile sequeretur abortus: Sit tamen alter tantum ex conjugibus sit amens, licitum est alteri sanæ mentis petere ab illo debitum; nunquam tamen tenetur conjugi amenti debitum reddere; quia subjectum incapax usus rationis est etiam incapax tam usus dominii, quam ipsius dominii, quod supponit libertatem physicam; atque adeo invalide debitum exigit; cum debitum exigere sit usus dominii. Propter eandem rationem non tenetur conjux reddere debitum alteri coniugi ebrio; Nisi tamen ad vitandam pollutionem, aut aliud grave damnum aliquando per accidens teneretur.

VI. Quæritur quinto; An aliquando sanitatis causa, vel ad vitam tuendam, liceat procurare feminis effusionem, distillationem, aut alterationem, hoc est notabilem commotionem spirituum vitalium generationi deseruentium; saltem, si id fiat per media licita eo fine assumpta.

Respondeo, certum esse, quod nunquam id liceat; immo quod semper fit peccatum & mortale; cum dicat Apost. 1. ad Corinth. 7. Neque fornicarii, neque molles Regnum Dei possidebunt. Ratio communis est, quia instantum ad sanitatem, vel vitam tuendam licitum est mittere sanguinem, secare manum, brachium, testes, &c. quia cum haec sint partes individui, conveniens est in bonum individui ea ordinare, & velle, ut ea potius, quam totum individuum pereat: Contra vero semen non est proprie pars corporis, nec institutum ad bonum individui, sed ad prolem generandam, & propter naturæ propagationem; unde solum ad talém finem ordinari potest, non vero ad vitam, aut sa-

nitatem tuendam.

Huic rationi additur alia efficacia; quia scilicet in effusione feminis talis delectatio suboritur, ut si femel admittatur in aliquo casu eam esse licitam gratia sanitatis, vel vita, esset videns, ac summum periculum, ne homines passione excætati passim id sibi licere persuaderent. Unde luxuria viria adversus commune bonum pullularent; quibus ut natura obviret, jure merito talem actionem negavit, etiam ad vitam tuendam. Quod tamen non militat in amputatione reliquorum membrorum; eo quod dolor maximus inde consurgens etiam a necessaria, nedum a prodiga amputatione avertit.

Sicut autem non licet procurare feminis effusionem extra actum conjugalem; ita nec licet procurare commotionem notabilem spirituum vitalium generationi, seu feminis effusioni deseruentium; quia talis commotio, seu alteratio est inchoata quedam pollutio, & ad pollutionis confluence essentialiter ordinatur. Et idem dicas de distillatione, qua per se conjuncta est cum notabili eorundem spirituum vitalium commotione. Solum licitum est, ut notat Sanch. lib. 3. disp. 17., ubi pollutio est in naturali fluxu, & in somnis capit, illam non impedit ob morbi periculum, cessante periculo consensu in delectationem; quia hoc non esset procurare, sed pati pollutionem.

VII. Quæritur sexto; An saltem motus sensualitatis aliquando culpavent?

Respondeo, certum esse, quod motus primo primi, sive sensualitatis sint, sive iracundiae, &c. non sint peccata; cum in nostra potestate non sint: Motus tamen secundo primi, qui scilicet prævideri, & caveri potuerunt, neque sunt peccata, si proveniant ex causa habente ali-

aliquam honestatem, vel utilitatem; ut quando proveniunt ex auditione peccatorum turpium in confessione, &c. quia sunt nobis connaturales, & in nobis facile oriuntur ex infirmitate naturae: Secus vero si proveniant ex causa nullam habente utilitatem, & honestatem; eo quod repugnant rationi, & incitent ad ulteriorem libidinem: Sunt tamen solum venialia peccata, si proveniant ex causa tantummodo venialiter mala, in qua prævideri, & præcaveri possunt, ut quando proveniunt ex verbis, ex lectione, vel aspectu curioso; dummodo non intendatur delectatio venerea, nec sit periculum consensus in illam. Ita Vasq., Henr., & alii apud Bonac. hic quæst. 4. punct. 7.

VIII. Dubium est, An peccet mortaliter, qui negative se habet circa tales motus sensualitatis, non impediendo, nec reprimendo illos, quando facile possunt reprimi, animum alio divertendo, etiam sine ullo gestu, aut motu corporis exteriori? Et idem queritur de cogitationibus, & delectationibus illicitis.

Respondeo, communiter Doctores docere, esse peccatum mortale non resistere positive moribus, cogitationibus, & delectationibus impuris. Ratio est, quia in moralibus quocumque voluntas non respuit, censetur illud admittere per consensum interpretativum, perinde quasi illud positive vellet; atqui positive velle tales motus, &c. circa omnem controversiam est peccatum mortale; ergo etiam negative se habere circa illos, & non resistere positive erit peccatum mortale.

Verum Pal. apud Tamb. lib. 10. in Decal. cap. 2. putat cum Cajet., Navar., Tolet. probabilius esse, quod non sit mortale illos turpes motus non reprimere; dummodo absit periculum pollutionis, aut ulterioris consensus.

Ratio est, quia cum hujusmodi motus sint naturales, & difficillimum sit omnes omnino coercere, sequeretur, quod nostra salus esset expolta periculis evidentissimis, si teneremur tales motus positive reprimere; hoc autem non est credendum de divina bonitate; ergo dicendum, quod ad id non teneamur: Aliter qui, verbi gratia, decumbens videret hos motus consurgere, deberet a cubitu abstine-re, immo surgere, & aliquando se verberare; quod videtur durissimum. Præterea quilibet deberet eorum causas removere; unde ne tales motus excitentur, deberet sub mortali abstinere a colloquio, & aspectu foeminae; quod communiter non admittitur. Hæc Pal., qui tamen fatetur cum communi esse veniale tales motus non reprimere, cum possis, nec excusationem habeas, cur non reprimas; quia negari non potest, motus hujusmodi esse deordinatos, & ad copulam incitare: Præterquamquod facile adest periculum ulterioris consensus; præsertim in iis, qui in hac materia sponte opiniones liberiores volunt sequi. Excusatio autem sufficiens non reprimendi positive esset, si actio illa, quam omittere deberes, ut reprimeres, sit tibi, vel alteri necessaria, aut utilis; ut est audire confessiones, mederi, studere, urbano loqui cum foemina, equitare, &c., hæc enim, & similia licent, etiam prævideatur secutura pollutio, dummodo non intendatur, nec sit periculum consensus.

Dices: Exercere operationes, quæ notabiliter influunt ad pollutionem, vel commotionem spirituum, secundum se est mortale; ergo etiam non reprimere spirituum commotionem; nam id (præferum in naturis calidioribus) est virtualiter eos acceptare, & velle causam notabiliter influentem in pollutionem.

Re-

Respondeo, concessu antecedente, negatur consequentia; primo, quia permittere non est acceptare, aut consentire; secundo, quia qui positive acceptat tales motus, vult causam notabiliter influentem in pollutionem; & ideo mortaliter peccat. Contra tamen qui negative se habet circa illos, non vult, quod notabiliter influant in pollutionem; quia hujusmodi motus si non acceptentur positive, non influunt notabiliter in illam; ergo quamvis sit culpa venialis, illos non reprimere positive, poterit tamen non esse mortale, si absit periculum consensus, quod in re tam lubrica non est facile declinare.

IX. Quæritur septimo; An semper fit mortale dare, vel non impedire causam pollutionis, distillationis, aut commotionis notabilis spirituum vitalium ad generationem deservientium?

Ante responsonem præmitto, duplēm dari causam pollutionis; Alteram, quæ notabiliter, & per se in illam infuit, ut est cogitatio vehementis de concubitu; (& ex Sanch., & Less. apud Tamb. lib. 7. cap. 3. §. 5. quilibet alia actio peccaminosa mortaliter in genere luxuriæ, ut sunt tactus, turpiloquia, oscula, aspectus, desideria, & alia hujusmodi, quando sunt peccata mortalia) Datur præterea altera causa pollutionis per accidens, quæ non infuit notabiliter in illam; ut est cibus, & potus superfluus, & aliae actiones, quæ in genere luxuriæ sunt solum peccatum veniale; Verbi gratia, lectio curiosa, & vana turpium, turpiloquia, representationes, cogitationes, desideria, tactus, & alia hujusmodi, quando sunt venialia, sive ex indeliberatione, sive aliunde. Quare tactus levis manus ex joco, & vanitate, loqui verba amatoria, videlicet, Cor meum, Anima mea, ad Amorem vanum, non tamen libidinosum con-

ciliandum (ut notat Dian. part. tract. 15. resol. 31.) ad pollutionem nonnisi per accidens, & raro influunt, cum sint peccata venialia, si adit periculum tam proprium, quam illius, ad quem verba diriguntur: Et idem dicas de potu calidorum, nec non de ebrietate, &c., quæ quamvis sint mortalia, cum non sint mortalia in genere luxuriæ, non dicuntur notabiliter, & per se influere in pollutionem; Unde si ex iis praivedetur securitas pollutio, & non intenditur, ne e sit periculum consensus, non erunt nisi peccatum veniale contra castitatem, ut mox dicemus. His itaque præmissis

Dico primo cum communī apud Tamb., & Dian. loc. cit. Quoties cum voluntate deliberata absque urgente necessitate, aut magna utilitate exercentur actiones ex natura sua turpes, & notabiliter influentes in pollutionem, seu per se tendentes ad actus venereo excitandos, toties peccatum mortaliter, etiamsi non intendatur pollutio prævisa, sive in somnis, sive in vigilia securita. Ratio est, quia qui deliberat vult causam, vult etiam effectum necessario, vel quasi necessario inde provenientem. Dni tamen, sine urgente necessitate, vel rationabili utilitate; nam si quis, verbi gratia, medeatur partibus veredis, excusat a culpa, quamvis prvideat inde pollutionem securaram, dummodo illam non intendat, nec sit periculum consensus.

Dico secundo; si sine necessitate, vel rationabili utilitate exerceas actiones leviter, & per accidens in pollutionem influentes, etiamsi illam prævideas, peccas solum venialiter, dummodo non intendas illam, & absit periculum consensus. Ita Vasc., Sal., Less., Bonac., Henr. apud Tamb., & Dian. loc. cit. Ratio est, quia instantum pollutio volita in causa est

ma-

mala, in quantum est mala ipsa causa; sed causa pollutionis, ut supponimus, est solum mala venialiter, saltem in genere luxuria; ergo talis etiam erit pollutio sequens, sive in somnis, sive in vigilia. Præterea, ut loquitur Sanch. lib. 9. disp. 45., obligatio vitandi pollutionem in causis, quæ per se, & proxime non ordinantur ad illam, non est obligatio gravis; eo quod non imputetur ad peccatum id, quod per accidens sequitur; cum operans illud potius patiatur, quam agat.

Hinc excusatur a culpa, etiam veniali, exercens operationes per accidens in pollutionem influentes, si bona fide illæ apparent necessariæ, vel utiles; immo etiam solum commoda sive Animæ, sive Corpori. Unde studere, audire confessiones, cubare tali situ commodo, equitare ad recreationem, vel ad negotiandum, osculari juxta morem Patriæ, ne inurbanus videaris, loqui cum sc̄minis caute, vel etiam amicabiliter sine prava intentione, ne venialia quidem peccata sunt, etiamsi in iis prævideatur pollutio secutura citra periculum consensu.

Quæ diximus de causis influentibus in pollutionem, dicas de causis influentibus in distillationem, & in commotionem spirituum; quia commotio spirituum est præparatio ad pollutionem, vel distillationem, & distillatio ut plurimum cum voluptate fit, minori tamen, quam fiat pollutio; Quod si fine ulla prorsus delectatione libidinosa contingat, non adeit obligatio tollendi ejus causas; ut iidem Doctores docent apud Tamb.

X. Quæritur ultimo; Utrum in venerea delectatione detur materia parvitas, quæ a mortali excusat?

Respondeo, docuisse nonnullos apud Mendo in Statera dissert. 5. quæst. 2. dari aliquando parvitatem materiae

in re venerea: Verbi gratia, si quis procuret levem aliquam distillationem, vel spirituum commotionem, aut si ob levem delectationem carnaleni legat libros obscenos, aut obscene loquatur, alios tangat, osculetur, &c.

Communissima tamen sententia docet, in re venerea quamcumque modicissimam delectationem deliberate quæsitam, aut admis̄am esse peccatum mortale. Unde Pater Claudius Aquaviva, & deinde Congregatio IX. decreto IX. præcepit in virtute Sanctæ obedientiæ, ne nostri contrariam sententiam docerent: Præterquam quod multi apud Mendo in Epitome V. Luxuria putarunt, contrariam sententiam a Clem. VIII. damnatam esse: Et ratio doctrinæ est, quia qualibet delectatio venerea ex se ordinatur ad copulam, a qua suam malitiam desumit, & est incitativa ad maiorem delectationem, cum fiat ex motu seminis, & commotione spirituum vitalium generationi deservientium; ergo qualibet modicissima delectatio venerea est peccatum mortale; Sicuti enim qui positus supra præcipitem, & lubricam viam, si vellet quatuor tantum paſſus descendere, & non amplius, exponeret se periculo manifesto ruendi in præcepis, ob sumam difficultatem fistendi gradum in proclivi; Ita qui querit, aut acceptat quamcumque modicam venereum delectationem, amat periculum manifestum labendi ulterius in maiorem delectationem, ob sumam difficultatem fistendi gradum in via tam lubrica, & præcipiti; & idcirco mortaliter peccat: Nam, ut ait Scriptura, *Qui amat periculum, peribit in illo*; Et propterea oppositam sententiam Verlicelli apud Mendo in statera vocat omnino improbabilem, temerariam, scandalosam, ac forte graviore censura dignam. Hinc proscripta

pta fuit ab Alex. VII. thesis 40. quæ habet: *Est probabilis opinio, quæ dicit esse tantum veniale osculum habitum ob delectationem carnalem, & sensibilem, quæ ex osculo oritur, secluso periculo consensus ulterioris, & pollutionis.* Esto enim proscripta hæc thesis non sit eadem cum thesi, quam impugnamus; ex ea tamen videtur satis colligi hujus improbabilitas.

XI. Notandum itaque, delectationem venereum a non venerea in hoc discriminari, quod venerea sentitur in carne cum commotione spirituum vitalium circa partes libidinosas, eo quod oriatur ex motu seminis descendenter ad partes obscenæ: Contra vero non venerea habetur ex yisu, tactu, &c. ob proportionem, & connaturalitatem objecti cum organo talium potentiarum; ut quando videatur hortus, ædificium, aut alia res pulchra, vel quando tangitur flos, aut alia res blanda: Quare si consimilis delectatio haberetur in visu faciei alicujus foeminae, quæ habetur in visu pulchræ picturæ, certe non esset peccatum, salem mortale, sic in tali aspectu delectari. Sed difficillimum est ad tales aspectus non commoveri spiritus, & non subnasci delectationem venereum circa partes libidinosas; nam sicut palea ad præsentiam ignis statim incenditur, quia ignis est virtus physica, quæ ad præsentiam passi dispositi non potest non agere; ita ad aspectum aliquorum objectorum physice noster sanguis ebullit, & spiritus commovenitur, ita ut impossibile sit non sentire delectationem venereum: Quis enim adeo stipes, & truncus, ut citra hanc delectationem posset inspicere partes obscenæ alterius sexus humani? Quare sicut inspicere tales partes data opera, procul dubio est peccatum mortale; quia per se talis aspectus influit in delectationem venereum, & im-

possibile est illam non sentire; ita prorsus si inspiciendo yultum foeminae consimilis delectatio venerea sentiatur, procul dubio erit pariter mortale illam admirare, aut procurare; quamvis talis aspectus non per se influat in delectationem venereum, sicut aspectus partium obscenarum. Quod si absque tali delectatione, & abique periculo foemina inspiciatur, peccatum mortale non committitur; & plenumque nec veniale, si nec periculum leve sit ullius culpæ: Sicut etiam nec veniale peccatum committitur, si ob finem honestum ea fiant, ex quibus motus sensualitatis, & commotio spirituum consurgunt, delectatio tamen venerea nec queratur, nec admittatur.

XII. Demum advertit Mendo in Epitome loc. cit., quod stringere, verbi gratia, pedem foeminae, tangere ejus manum, necnon ex curiositate cernere congressum animalium, aut eorum pudenda tangere, & similia, si fiant, quando leviter influunt in delectationem, aut sunt leve periculum illius, sint dumtaxat peccatum veniale in communi sententia, eo quod leve periculum peccati gravis non possit esse peccatum grave. Hinc tamen non sequitur, dari parvitatem materiæ in delectatione venerea, cum supponamus in talibus actionibus nullam omnino venereum delectationem aut intendi, aut admitti posse. Immo neque sequitur, dari parvitatem materiæ in re venerea; nam hujusmodi actiones sic explicatae non debent dici res venereæ, ut multi docent: Quod si cum nonnullis dicatur, hujusmodi actiones esse res ex objecto venereas, concedi potest in tali sensu, dari in re venerea parvitatem materiæ cum Carden., Sanch., Gran., & aliis; dummodo fixum sit, in delectatione venerea parvitatem materiæ non dari.

AR.